

Item interrogatus de septimo articulo, qui incipit: *quod mulieris*<sup>a)</sup> *osculum* etc. respondit, quod, si *natura inclinatur* hominem perfectum et liberum spiritu ad actum venereum exercendum et si exercet, non peccat. Dicit eciam, quod, si perfectus et liber spiritu coiret cum virgine, virgo solum amitteret virginitatem quoad<sup>b)</sup> carnem, sed deus indulgeret et remitteret ei per huiusmodi liberum spiritu, qui huiusmodi actum cum ea perfecisset. Dicit eciam, quod non peccaret cum matre et sorore, si huiusmodi actum cum ea exerceret, si natura inclinaret, sed tamen non credit, quod deus hoc permitti fieret<sup>c)</sup> a tam perfectis et spiritu liberis.

Item dicit, quod eciam, cum adeptus fuerit gradum perfeccionis ut supra et spiritum libertatis, quod natura inclinaverit eum ad actus<sup>d)</sup> venereos et eciam eos exercuerit, sed in hoc non peccaverit, quia fuerit inpeccabilis, eciam si perfecisset in loco sacro sicut in ecclesia vel in altari.

Item super octavo articulo, qui incipit: *quod in elevacione*<sup>e)</sup> *corporis Christi* etc. respondit, quod taliter perfectus ut supra et existens in spiritu libertate<sup>f)</sup> si ex induccione spiritus esset in summa contemplacione divine essencie, quamdiu spiritus in huiusmodi actibus contemplacionis vellet permanere, non deberet se divertere ad alium actum, et si medio tempore elevaretur ibi corpus Christi, non deberet sibi assurgere nec reverenciam exhibere. Dicit eciam quod talis liber spiritu et perfectus non tenetur ad percepcionem eukaristie nec aliorum sacramentorum.

Item dicit eciam, quod, si paganus nondum baptisatus haberet spiritum libertatis et gradum perfeccionis, quod tunc non indigeret de baptismo, cum tales non subiaceant mandatis ecclesie nec indigeant de sacramentis.

Item dicit, quod omnes premissas responsiones non fecerit ex demencia mentis vel debilitate capitis seu infirmitate corporis nec causa timoris, sed ex proposito et deliberacione et ex sana mente et dicit, quod talia protulerit<sup>g)</sup> ex fundo, quia sic in se invenit ex revelacione spiritus et quod solum iste valeat talia exprimere, qui sit expertus et sit liber spiritu et habeat gradum perfeccionis, ut supra.

Item dicit, quod talia negare non debet nec posset eciam propter evitandam mortem.

Item interrogatus, an aliquis induxerit eum ad credendum predicta, dicit, quod non, sed omnia premissa habeat ex instinctu spiritus sancti; et dicit, quod a novem annis citra fuerit constitutus in choro S. Willi-

---

a) mulieres P    b) quo ad PH    c) liceret H    d) actos PH    e) elevacionem H    f) spiritu libertatis P?    g) pretulerit H.